

peccatorem salutis cupidum: Nostra ecclesia ablegat ad solum Christum! Videant vero ipsi qui in hominibus Sanctis fiduciam ponunt, quomodo a Simoniana se haeresi coram oculis DEI liberent. Atqui Lutherus cum Simone statuit, bona opera non mereri vitam aeternam! Si nihil aliud impii docuisset Simon, in haereticorum censum atque ordinem nunquam fuisset relatus. Est enim illa doctrina Apostolica; verum aliam mentem ipsi sedisse ex adjectis patet, dum hominibus persuadere conabatur, *se ipsum esse Christum, in quem per μετεμψύχωσιν fuerit mutatus, & se solum habere potestatem hominibus dandi salutem & Spiritum S.* idque, EPIPHANIO teste, haeres. i. p. 56. ad lucrum, & cumulum pecuniarum corradendum: Quibus vero haec imago conveniat proprius, nobisne, qui per Christum ejusque solum meritum salvari cupimus, an illis potius, qui se Christi loco in terris praesidere fingunt ambitiosissime & blasphemie, & Spiritum S. ac bona Spiritualia atque aeternas iudgentias, Coelum ipsum & liberationem ex Purgatorio promittunt hominibus, ex potestate propria, qua Angelis imperant, ut animas mortuorum in Coelum ferant, atque negotium totum ad lucrum componunt, ita ut hanc avaritiam Simoniacam jamdudum in ipsis seculis barbaris explosisse & derisisse sapientiores legamus: judicent, quibus aliquis aequi & veri amor circa praecordia salit. Nos equidem vix ovum ovo similius deprehendimus, quam Simonianismum Papismo, quemcunque etiam colorem superinducant. Nostra vero de Justificatione doctrina, per solam fidem in Christum, mediatorem unicum, divina & coelesti veritate immota perdurabit: Propter abusum enim practicum hominum Epicureorum doctrinae ipsi nec aliquid decedit, nec ut studio detrahamus, nobis quispiam persuadebit. Conf. JACOBUS

D 3

LAU-